

§. 4. Ideo non potest non Deo attribui *natura actiuosa*, quam quoniam a se ipso habet, Græcis vocatur *αυτοζωος*. Vita autem Deo competens involvit hæc duo, (1) *vim agendi in se per sui conscientiam*, & (2) *vim efficiendi & penetrandi res extra se*.

§. 5. Contra hanc a nobis stabilitam veritatem peccant omnes, qui Deum ut *corporeum* sibi imaginantur.

CAP. II.

DE SVFFICIENTIA DEI, QVAM SCHOLASTICI
VOCANT INDEPENDENTIAM.

§. 1.

Per *sufficienciam* intelligo illam Dei *perfectiorem*, secundum quam *virtute nature sua absque alterius interventu existere sufficiens fuit*. Ea de causa vocatur *Deus ens a se* i. e. tale, quod consideratur tanquam *habens sui efficienciam in se ipso*. cum enim causa definiatur per id, cuius vi res est, illius entis tam immensa agnoscitur vis essentialis atque vigor, ut nulla alia re externa vel a se distincta indigeat, qua possit esse, sed suis viribus existat.

§. 2. Ut autem entis a se ipso existentis naturam penitus intelligas, observa,

I. *quod ens, in quo vel minima imperfectio, non sit a se ipso*. etenim quæ res non excludit *parvam imperfectiorem*, illa nec includere poterit *parvam ei oppositam perfectiorem*; quodsi autem hoc, quomodo excludere poterit omnium *maximam imperfectiorem*, videl. *non esse*, & includere omnium